



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel  
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo  
Distribvta**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§. 6. Diuitiarum execratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

intemperijs agitati, carnificem præueniunt, vindicesq; manus in se conuerterunt. Tota itaque ea die pater, in tristitia, inedia ac desperatione transacta, nocte proxima urbem solus absque arbitro egressus, è publico se ciuitatis patibulo suspendit, ut è sublimi loco altius ad Tartara descenderet; mater autem eodem, quo pridie filij fauces iugulauerat, cultro etiam suum guttur dissecuit; filiâ, inter tria cadavera, aurum, cupiditatem, & diuitias detestante. Acne historia hæc vim vetustate perdat, contigit ea nostro sæculo, anno scilicet 1618. die 15. Maij. In qua Mundus videt auri vim, qua non solùm, spe adeundæ hereditatis, filij rapiuntur ad necandos parentes, sed ipsi quoque parentes præcipitantur, vt natos suos è viuis auferant, quibus vitam de-

**Ouid.lib.** derunt. O mater crudelis, & sæuior Medea!  
**6.Metam.** ô noua Progne, quæ, Deo vindicante, Ityn ipsa suum concidit! & prolem, quam vredo texerat, nunc ingestâ terra occultauit, ignara quid faceret. Adeò cæcos & amentes facit aurum; adeò sævit, adeò furit.

## §. VI.

*Diuinitarum execratio.*

**S. Chrys.** Diuinè Chrysostomus air: *Fugitiva diui-*  
tom. 5. *tia*

homil.  
Cum Sar-  
tonius.

tia sunt, ab hoc in illum transeuntes, atq; uti-  
nam transiſſent ſolum, non etiam occidiſſent:  
nam praterquam quod deſerunt, etiam gladio  
tradunt, & in barathrum pertrahunt; eò quod  
ſunt periculofe prodiſtrices, & cum hiſ potiſti-  
mum bellum gerunt, à quibus amantur; in-  
grate ſunt, fugitiua, homicidae, crudeles, im-  
placabiles, beſtia incurabiles, precipitum un-  
de quaque præruptum, ſcopulis aſiduis plene,  
& fluctibus; & mare innumeris ventis agita-  
tum; tyrañni acerbè imperantes, domine quo-  
uis barbaro fauiores, inimicæ irreconciliabiles,  
hostes implacabiles, & quæ numquam erga eos  
à quibus poſidentur, remittunt ſimilitatem.  
At non ita paupertas, quæ quidem eſt tutum  
aſylum, portus tranquillus, perpetua ſecuritas,  
delicie periculorum expertes, voluptas ſincera,  
vita turbationum nescia, vita fluctuum ignara,  
copia inexpugnabilis, Philoſophie parens, fre-  
num intemperiae, ſupplicij ſublatio, radix  
modestiae. Quare igitur hanc fugientes, illas  
amatis? illas hostes, illas homicidas beſtia quæ-  
uis fauiores?

### §. VII.

Cur diuitiæ ſpinis comparentur?

Quæ cùm ita ſint, num Christus nimium *Luc. 8. 14.*  
dixit, quando diuitias ſpinis comparauit?

M 3

Spinx